

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Synodvs Nicæna II. Generalis. Sub Hadriano papa I. anno DCCLXXXVII.

Parisiis, 1644

In Concilivm Nicaenvm II. Vniversale Sive Oecumenicvm septimum approbatum, trecentorum quinquaginta episcoporum, quo Iconoclastarum haeresis condemnata est anno Domini 787. tempore Hadriani papae I. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15473

reliqua omnia prouidentia reguntur. Extra igitur omnem creatam naturam est Deus : atque hac ratione nomen ipius est incomunicabile. Idcirco & admirabilis Moyses peculiares tradidit literas ad scribendum Dei nomen , quas ad alias voces non usurpabant. Quod si virtutes angelicæ , atque homines pii Deumquæ timentes participes Dei sunt, id eius gratia, non natura habent . Cuius tu quoque fias particeps per bona opera. Et ipse imperiū vestrum exalteret, & subuehat vos ad intelligenda & cogitanda quæ perducunt ad æternum ipsius regnum, miseratione sua & precibus sanctæ & immaculatae dominæ nostræ Dei genitricis, omniumque sanctorum eius . Amen.

τι δὲ πάντα τὸδε αὐτῷ περιούμενα· Εξωσιώποις φύσεως κτητῆς βέσιν ὁ θεός. καὶ τοῦτο ἀκοινώνητον εἴτε τὸ ὄνομα αὐτῷ. συντελεῖ δὲ τοσοῦτος Μαῶντος ἴδια σοιχεῖα τρέμουνε γεφεδαὶ ἡπτὰ τὰ τὰς θεοὺς οὐδέποτε πάντα ἔχεα φον. εἰ δὲ καὶ μετέχοις τῷ θεῷ αὐτῷ γελαῖαι διωδειρίαι, καὶ θεοστοῖς καὶ φονούμενοι αὐτὸν αἱρέτες, χάρεται αὐτῷ μετέχοις, οὐδὲ οὐσίᾳ. οὐνος αἰτιωδεῖς σὺ μετοχῇ γεμέδηται δι αἵασθαι ἐργαν. αὐτὸς οὐδὲ οὐφάσας βασιλεῖαν ἤμηρι, οὐδαέται ἵματος νοεῖν καὶ λογίζεται τὰ απολογητὰ εἰς τὴν αἰγαίνων αὐτῷ βασιλεῖαν, τῷ τε αὐτῷ ἐλέσι, οὐδὲ προσβείας τῆς αἵας αἰχατον δέσποιντος ἤμηρι θεούκουν, καὶ πάντων τῷ αἵαν αὐτῷ. Αμήν.

I N

CONCILIVM NICÆNV M II.

VNIVER SALE SIVE OECVMENICVM
septimum^d approbatum, trecentorum quinquaginta
episcoporum,^e quo Iconoclastarum hæresis condem-
nata est anno Domini 787.^g tempore Hadriani papæ I.
& Constantini ac Irenes imperatorum , indictione II.

N O T A E.

A quo indi-
ctum fuerit
hoc Conci-
lium.

^a Concilium.] Hæc sacrosancta Synodus, prout in reliquis anteriores Conciliis vniuersalibus obseruatum est, rogatu, auxilio & opera imperatorum, iussu autem & auctoritate Hadriani pontificis indicta & celebrata fuit. Nam in sacra illa diuali epistola, quam Constantinus & Irene ad Hadrianum per legatos transmiserunt, quæque supra inter preambulares nunc recens est excusa, post iconomachiam Constantinopoli superioribus temporibus habitam, subiungunt: Vnde nunc constanter cum mundo corde & vero cultu, que ad Deum pertinent, una cum omnibus subditis nostris, & his sacerdotibus doctissimis locuti sumus, & cum consilio decreuimus, ut fieret vniuersale Concilium. Et rogamus vestram paternam beatitudinem, ut det seipsum, (id est, suo con-

ANNO
CHRISTI
787.

sensu approbet, solitaque præsentia confirmet.) Paulo post enim subiungunt: *Ascendat huc in stabilitatem & firmitatem antiquæ traditionis super venerabilibus imaginibus.* quasi dicent: Nihil firmum & ratum est in ecclesia, quod tua auctoritate non est confirmatum. Rogamus ergo, ut ad synodice confirmandam antiquam de sacrarum imaginum cultu traditionem adesse dignetur is, sine cuius auctoritate nulla Synodus vniuersalis vñquam legitime celebrata fuit. Hoc est, quod paulo infra aint: *Et tamquam verus primus sacerdos & is, qui in loco & sede sancti & superlaudabilis apostoli Petri presidet (sicut dictum est) ascendat.*

Hac de auctoritate conuocati Concilii. Qua occasione haec sacro-fancta Synodus indicta fuerit, narratur aet. i. in epistola Constantini & Irenæ ad Concilium scripta, & in apologia Tarasii, quæ extat apud Theophanem & Anastasiam in translatione Concilii VII. nimirum, quod cum Paulus patriarcha Constantinopolitanus ob simulatam fidem & iuramento confirmatam perfidiam iconoclastiæ, poenitentiam acturus thronum reliquisset, vitamque monasticam suscepisset, dixerit: *Nisi Synodus vniuersalis fiat, & error qui est in medio vestri corrigatur, salutem non habebitis:* eoque dicto designatum successorem Tarasium adeo commouerit, vt non nisi sub promissione oecumenici Concilii celebrandi oblatum munus episcopale acceptare voluerit. Auctorum synodalium e Græco in Latinum triplex extat editio. Prima quidem e verbo ad verbum adeo inconcinnia atque inepta, vt nec eam librarii exscribere dignarentur. Quæ dum plane conteneretur, Anastasius bibliothecarius opportunus interpres occurrit, atque eam secunda editione in Latinum vertit, sensa sensibus quam diligentissime reddens, eamque inter alia e Græco in Latinum translatâ Concilia oecumenica in sanctæ Romanæ ecclesiæ archiuo recondidit. Postremo is qui Anastasi versionem ignorauit, exsus primam, elaborauit aliam, quæ cum aliis Conciliis in his Conciliorum tomis cusa, communique usui exposita habetur. *Cui quantum præstet quæ Anastasi est,* inquit Baronius, *intuebitur lector, si legat, simulque conferat: cum plura apud Anastasium inueniet, quæ in edita desiderantur, & ea quidem haud parui momenti; prout noster Petrus Morinus, qui consultit, diligentissime annotauit.* Nunc demum iuxta votum illa quæ Roma iam multis annis expectata fuit, lucem aspexit, atque huic editioni Conciliorum inserta est, de qua collector Romanæ editionis in frontispicio ista prænotauit: *Septima Synodus cum tribus Grecis codicibus manuscriptis collata, duobus bibliotheca Vaticane, tertio Antonii Augustini archiepiscopi Tarragonensis, Latina versio Anastasi nunc primum editur ex vetustissimis codicibus Vaticanicis.* Et quæ in Græco textu habentur, & in hac versione desiderantur, vel aliter legisce videtur Anastasius, quam nunc in codicibus Græcis habeatur, in margine indicauimus.

^b *Nicanum.*] Ut Constantinopoli conueniret, constitutum fuerat, & re ipsa obseruatum. Sed cum ibidem in ecclesia sanctorum apostolorum anno 7. Constantini imperatoris Concilii initium fecissent,

Concil. Tom. 19.

Qua occa-
sione con-
gregatum
fuerit.

Auctorum
synodaliū
triplex edi-
tio & trans-
latio.

Qqqq iij

milites prætoriani qui Iconoclastarum hæresim medullitus imbibebant, sacrosanctam congregationem manu militari plane exturbaverunt. Quo facto imperatores admodum perturbati dimiserunt episcopos ibidem congregatos, quoadusque urbem & exercitum turbulentis istis hominibus, quos Copronymus inuexerat, expurgassent, atque ab omni ulteriore metu seditionis liberaffsent. Qua re prudenter miroque successu peracta, iterum mensē Maio anni sequentis, inquit Theophanes, mittens per omnem locum congregauit omnes episcopos, qui conuenirent in Nicensium ciuitatem ad celebrandum illic Concilium. & per totum tempus astrium congregati sunt omnes apud Nicæam: siquidem eos qui ex Romana sedis & orientalium patriarcharum persona venere, omnino non dimiserat, sed retentos secum habebat. Ita sacrosancta Synodus oecumenica Constantinopoli turbata, Nicæa fuit habita in basilica primaria eius ciuitatis, titulo sanctæ Sophiæ nuncupata.

Oecumeni-
cum Con-
cilium ful-
se proba-
tur.

^c *Oecumenicum.*] Id oecumenicum Concilium fuisse non potest negari, cum legati apostolicæ primo loco sedentes, & ante alios primum loquentes, Concilio præsederint, aliisque aliarum sedium patriarchalium ecclesiarum in oriente legati interfuerint. Vnde magna cum iniuria sacratissimi Concilii Theodorus Studita in epistola 38. ad Arsenium, (quam ob argumentum impium non immerito velut commentum reieceris) localem hanc Synodum appellat.

A quibus
pontifici-
bus appro-
batum fue-
rit.

^d *Approbatum.*] Auctoritate Leonis hanc Synodum confirmatam esse testatur Iuo 4. part. cap. 157. contra calumniam auctorum illius libelli, quem sub nomine Caroli Magni anno 1549. suppresso nomine typographi & loci, dolosus impostor Eli-Phili euulgauit. Hanc sacrosanctam Synodum defendit Hadrianus papa in epistola ad Carolum Magnum supra. Quis neget, eumdem apostolica auctoritate Synodum sacratissimam velut oraculum Spiritus sancti recepisse & approbasse? Illi qui sub Ludouico Pio interfuerunt Conciliabulo Parisiensi aperte profitentur, Nicænam hanc Synodum ab Hadriano papa comprobata fuisse, sed paulo post eumdem Hadrianum reprobasse eamdem, quasi ipsa imagines veluti Deum venerandas esse sanxisset. Illud prius nostræ sententiae suffragatur, ideoque non inuiti amplectimur. Posteriorius vero, quod de recantata palinodia Hadriani papæ subiungunt, doctissime refellit reuerendissimus & illustrissimus cardinalis Baronius, & velut commentum & malitiosam calumniam reiicit.

An a Con-
cilio Fran-
cofordiensi
hæc Syno-
dus damna-
ta fuerit.

Fueritne hæc sacrosancta Nicæa Synodus a patribus Concilii Francofordiensis condemnata, inter viros huius saeculi doctissimos grauis est controuersia. Alii negant, alii affirmant. Singuli suas habent rationes, quas infra pluribus attingam. Reuerendissimus cardinalis Baronius eam sententiam veriorem esse iudicat, qua asseritur, quod patres Concilii, mendaciis & imposturis auctorum libri Carolini decepti, Nicæam Synodum, quasi ipsa imagines cultu latræ soli Deo debito colendas esse sanxisset, suo decreto reprobarint & condemnarent: quodque non tantum legati sedis apostolicæ, verum etiam ipse Hadrianus papa, postquam libellum a pluribus auctorisbus contra Nicæam Synodum & cultum imaginum conscriptum a Carolo impe-

ANNO CHRISTI 787. ratore ad se missum accepisset, Concilium oecumenicum propugnauerit, atque Francofordiensis Concilii illa, quæ contra Nicænam Synodus gesta erant, cassa atque plane irrita reddiderit. Hanc esse communem historieorum & antiquissimorum scriptorum sententiam, probat iis testimoniis, quæ infra in notis Concilii Francofordiensis allegabo. Theodorus Studita, aliive Græci impostores hanc sacratissimam Synodus calumniantur, quod lapsos poenitentes episcopos citra dispendium dignitatis receperit, idque non sine sacratissimi Concilii iniuria, ut patebit infra in notis act. 1. & 2.

^c Trecentorum quinquaginta episcoporum.] Ita Psellus, quem communis sententia scriptorum fere omnium sequitur. Photius autem trecentos septuaginta septem numerat. In menologio Basiliī imperatoris trecenti sexaginta septem episcopi interfuisse scribuntur. Pontifex Hadrianus & patriarchæ orientales per suos legatos præsto fuerunt. Ex reliquis plurimi confessionis gloria celeberrimi extiterunt, e quorum numero sunt Plato & Theophanes monachi; item Euthymius Sardicensis episcopus: qui tempore Constantini Copronymi vincula & exilia, sediumque priuationem passi fuerant. Confessus episcoporum & ordo rerum in hac Synodo idem fuit, qui in oecumenicis Conciliis supra descriptus habetur.

^f Quo heres Iconoclastarum condemnata est.] Septem actionibus; quarum prima habita fuit octauo Kalendas Octobris, indictione vndecima, mense eodem tunc inchoata. Exordio illius ad rogationem episcoporum Sicilæ, Tarasius causam cogendæ Synodi prælocutus, singulos admonuit, ut aduersus exortam hæresim strenue agerent. Ex suggestione Constantini episcopi Constantiæ Cyperi deinceps iussi sunt adesse episcopi de hæresi Iconoclastarum accusati. Quibus præsentibus, iussu Synodi lectæ sunt literæ imperatorum, quibus significabant, quod exemplo Pauli Constantinopolitani patriarchæ se episcopatu abdicantis, errorem detestantis, atque ad oecumenicum Concilium celebrandum adhortantis, animo perculti, constituisserit fidem catholicam exulantem reuocare, quodque tantæ molis streturam a creatione Tarasii catholici episcopi inchoassent. Porro inter alia exhortationis verba ad Synodum habita, hæc quæ obscuræ absque germano sensu leguntur in vulgata editione, apud Anastasiū ita redduntur. *Igitur quoniam a toto terrarum orbe colligit vos Deus consilium suum statuere volens; ecce propositis sanctis euangelis, & intelligibiliter clamantibus: Iuste iudicate: state stabiles pietatis pugnatores, & omnem nouitatem vocum, & nouiter apparentem seditionem recidere procurate, quemadmodum & Petrus primus princeps collegii apostolici, qui seruulis deceptionis amentia percussa, Iudaice auditionis sensum gladio abstulit: extendite securim spiritus, & omnem arborem germinantem fructum contentionis & introductæ nouitatis, aut magistrilibus vocibus transplantate, aut canonicis increpationibus concidite, & in ignem future gehenna transmittite, &c. His præmissis, eas quas ab Hadriano pontifice de congreganda Synodo literas accepérat; produxit, easque legi procurauit; sicut etiam quaterniones illos, quos*

Numerus episcoporum quantum fuit.

Præ actionis cōpendiosa relatio.

Imperatores p̄i nouitatem explodendam esse monēt.

Qqqq iij

680 HADRIANVS P. I. SYNODVS. CONSTANTINVS^S IRENE IMP. P.

ANNO
CHRISTI
787.

tres orientales patriarchæ per suos legatos ad Synodum destinauerant. Quibus perlectis, sancta Synodus imperatoribus de fide catholica optime merentibus bene precata, conuersa est ad cognitionem lapsorum episcoporum, Basilii Ancyrani, Theodosii Myrensis, atque Theodosii Amorii. Qui omnes ante sacrum Concilii confessum stan-
Lapsi epi- scopi reci- piuntur. tes, suamque hæresim abiurantes, in ecclesiam recipi, & veniam petiuerunt, eamque non grauate impetrarunt, quando alii post alios fidei catholicæ professionem edidissent, atque Iconoclastarum hæresi anathema dixissent. Post hos ad synodalem confessum receptos, producendi sunt alii episcopi pariter lapsi, hi: Hypatius episcopus Nicænus, Leo Rhodiensis, Gregorius Pisidiæ, Gregorius Pessinuntis, Leo Ico-nii, Nicolaus Hierapolis, Leo Carpathi. cumque horum fides non adeo explorata esset, prolixior de iis cognitio adhibita fuit. Tarasius Constantinopolitanus patriarcha dum Leonis Rhodiensis fidem ex-plorat, audissetque illum multo tempore in eadem hæresi permanisse, illam auream memoratu dignam dixit sententiam: *Dinturniores passiones difficiliores sunt ad curandum: sic & anima que in obscuro est hæreseos, lumen orthodoxie difficile recognoscit.* Quomodo autem præ-dicti lapsi episcopi, & qui ab ipsis fuerant ordinati, in ecclesiam recipiendi essent, ex sacris antiquis Canonibus, sanctorumque patrum af-fertionibus ex codicibus e patriarchio in Synodum allatis, facta est prolixior disquisitio. Tarasius inter differendum interlocutus ostendit, eiusmodi hæresim iam diu ante ab improbis hæreticis Marcioni-stis, Manichæis, Petro Fullone, Xenaia Hierapolitano, atque Seuero plantatam, adeoque potius hoc tempore renouatam, quam adinuen-tam esse. Cumque ad hosce recipiendos quidam episcopi orthodoxi se difficiliores præberent, quidam episcopus Iuuinalis nomine, com-miseratione permotus, ex sua sede surgens, eamdem cum lapsis exce-pturus sententiam, se illis immiscuit; idque ut facilius veniam quam petebant, consequerentur. Quod cum eadem intentione etiam Illy-rici episcopi fecissent, receptionem eorum in sequentem annum pla-cuit differre.

Actionis 2.
compen-
diola de-
scriptio.

Secunda actio celebrata est v i. Kalendas Octobris, in qua Tara-sius diligenter examinavit, num Gregorius Neocaesariensis episcopus lapsus vere a fide pœniteret, & ecclesia catholicæ restitui cuperet. Sed cum ille ex intimis præcordiis vere pœnitentis signa edidisset, mandatum est illi, vt libellum supplicem, quo se vere catholicum esse profiteretur, ipse conscriberet, & sequenti actione Synodo offer-ret. Post hæc lectæ sunt literæ, quas Hadrianus papa ad imperatorem & Tarasium Constantinopolitanum episcopum, de primatu Roma-næ ecclesiæ, de sacrarum imaginum cultu, aliisve fidei articulis con-scripsit. His absolutis legati sedis apostolicæ interloquentes rogarunt, quid Tarasius, quidve vniuersa Synodus de iisdem sentiret. Respon-det Tarasius: *Confirmamus atque permanebimus in significatione lite-rarum que lectæ sunt, imaginales descriptiones, id est, quæ ad sacras imagines pertinent, suscipientes, secundum antiquam patrum nostro-rum traditionem, &c.* Cumque ad eorumdem legatorum sedis apo-

HADRIANVS
P.L.

NICÆNA II. CONSTANTINVS

IRENE

IMPP. 681

ANNO
CHRISTI
787.

stolicæ interpellationem, sancta Synodus de iisdem literis respondisset : *Sequimur & suscipimus, & admittimus* : legati patriarcharum orientalium magnis præconiis easdem Hadriani epistolas, fidemque Tarasii extulerunt, ac deinceps cum reliquis episcopis & archimandritis omnibus easdem sua subscriptione confirmarunt.

Tertia actio secundum accuratiorem Anastasii versionem celebra
Vulgata e-
ditio men-
dofa.

brata habetur III. Kalendas Octobris. Vnde quod in vulgata editio
ne hac nostra mendose legitur, eam VI. Kalendas Octobris habitam
fuisse, corrigendum est. nam ex supradieti constat, quod secunda
actio VI. Kalendas Octobris celebrata fuerit. In hac proposita est in Actionis 3.
primis causa Gregorii Neocæsariensis episcopi, quem cum nonnulli compen-
dio ea nar-
ratio.
ad ecclesiam, non autem ad episcopatum pristinum recipiendum esse
dixissent, ideo quod Iconoclastarum antesignanus fuisset, atque orthodoxos tempore persecutionis in oriente grauiter vexasset, decretum est tandem auctoritate legatorum sedis apostolicae, ut vna cum collegis in sedem suam recipiatur: maxime quia obiectu illi persecutionis crimen probari non posset. Post haec iussu Concilii recita
tæ fuerunt epistolæ, quas Tarasius dederat ad patriarchas orientales, quasve eorumdem patriarcharum nomine monachi Palæstinæ Tarasio reddiderant. Quibus approbatis, legati sedis apostolicae nomine trecentorum decem & octo patrum, qui ante in eadem ciuitate Nicænum primum Concilium colegerant, aliter sentientibus anathema dixerunt: cumque eamdem sententiam sacrosancta Synodus plane approbasset, suaque subscriptione corroborasset, faustis acclimationibus imperatoribus oblatis, finis huic actioni impositus fuit.

Quarta actione, quæ iuxta translationem Anastasii ipfis Kalendis Octobris celebrata est, omnium sententia iussa sunt afferri sacra volumina, ex quibus de cultu sacrarum imaginum testimonia recitarentur. Primumque ex diuina scriptura tam veteris quam noui testamenti, inde ex sanctorum patrum sacris voluminibus decerptæ sententiae. Addita est lectio historiæ de imagine illa Domini nostri Iesu Christi, quam Iudæi circa tempora Constantini & Irene Beryti in Syria iterum crucifixerunt, clavis perforarunt, & post turpes irrisiones, contumelias & conspurcationes lancea transfoderunt. De qua memorabile illud continet eadem historia; quod cum latus imaginis lancea perforassent, sanguis & aqua copiose profluxerint: ex quo illi quidem in admirationem versi, nec tamen conuersi, nouum experimentum tentant, si homines male affecti & mordosi eo sanguine aspersi sanarentur. Quod cum reuera præstitum esset, Deo corda eorum attingente, omnes abnegata perfidia in Christum crediderunt, & baptismum suscepserunt. Recitatam historiam patres Concilii audientes, lacrymis sunt perfusi, non aliter, quam si crucifixionem Saluatoris ex vno euangelistarum acceptam recitari audiuerissent. His locis & auctoritatibus variis de sacrarum imaginum veneratione allatis & recitatis, subiuncta est lectio epistolarum Gregorii papæ II. & Germani Constantinopolitani episcopi. Ad postremum sacra Synodus se antiquis traditionibus & patrum sententiis inhaerere

Editio, vul-
gata men-
dis referta.

professa, anathematismos superioribus similes promulgauit, omniumque episcoporum subscriptione firmauit. Hæc actio in editione vulgata, vt supra in margine notaui, non uno in loco mendoza esse reperitur, & in historia imaginis crucifixæ Beryti, quædam apocrypha de imagine Christi Nicodemo facta admixta habet: a quibus expurgabitur facile, si cum Anastasi versione conferatur. Quæ de Canonibus sextæ Synodi hac actione dicuntur, non a Synodo, sed Tarasio Græco dicuntur: ideoque intelligenda sunt & explicanda, prout supra in notis sextæ Synodi verbo *Concilium*; & item pseudofexti Concilii, verbo *Canones* 102. explicata fuerunt.

ANNO
CHRISTI
787.

Actionis 5.
compen-
diosa rela-
tio.

An angeli
& animæ
definitione
huius Con-
cillii sint
corporeæ.

Actio 6. de-
scribitur &
cimendatur.

Actionis 7.
res gestæ.

Quinta actio collecta est quarto nonas Octobris, in qua Tarasius ostendit, Iconoclastas Iudæorum, Saracenorum, Gentilium, Samaritanorum & Manichæorum sectarios esse: refutatique eorum argumentis, quæ pro confirmatione suæ hæreseos attulerant, alia plura testimonia ad comprobandum sacrarum imaginum cultum recitari mandauit. Post hæc euidenter demonstrauit, quod Anastasius, Constantinus & Victor patriarchæ hæretici tempore vigentis persecutionis sacros codices, in quibus de venerando cultu sacrarum imaginum mentio aliqua inueniebatur, corruerint, aboleuerint & incenderint. Denique his peractis, sententia & decreto legatorum sedis apostolicæ iterati sunt aduersus Iconoclastas anathematismi, finisque quintæ actioni impositus fuit. Notandum, quod hac actione Ioannes Thessalonicensis ait, angelos & animas esse corporeas, idemque cum Basilio & Athanasio vniuersam ecclesiam sentire, falsum est, & ab ecclesia nequaquam receptum. Quod autem ex professo & instituto Synodi allegabat, angelos & animas pingi posse, iudicio ecclesiæ probatum est. Rationem quam ille ibidem intulit, Synodus non curauit: vt pote quod de retinendo vsu imaginum dumtaxat in ea ageretur.

Sexta actione, quæ non pridie, (vt habet vulgata editio) sed tertio nonas Octobris, teste Anastasio, celebrata fuit, definitio fidei, quam in pseudoseptima Synodo Constantinopolitana sub Copronymo habita Iconoclastæ ediderunt, sub nomine Gregorii Neocælariensis episcopi recitata fuit: Ioannes & Epiphanius viri orthodoxi eamdem doctissime refutarunt. Vnde quod Gregorius imaginem Christi eucharistiam nominat, Iconoclastis nostri temporis parum patrocinatur. Nam quod ille hac actione dixisse fertur, sub nomine Iconoclastarum proposuit, & ab orthodoxis verbum imaginis in eucharistia plane detestantibus est refutatum.

Cumque ita superioribus actionibus perfidia Iconoclastarum iam satis refutata & condemnata fuisset, septimam & ultimam actionem tertio Idus Octobris celebrantes, ediderunt catholica fidei definitiōnem, in Concilio Florentino sessione quinta recitatam & approbatam, in qua ne cum Iconoclastis in aliquo dogmate communicarent, professi sunt, Spiritum sanctum, quod illi negabant, a Patre Filioque procedere; atque imagines deiparae Virginis, aliorumque sanctorum, non minus quam sanctæ crucis retinendas & colendas, non tamen cultu latræ propter se atque ex sua natura adorandas esse. Hanc li-

ANNO CHRISTI 787. mitationem addendam esse putauit in gratiam scholasticorum quorumdam theologorum, qui docent Christi redemptoris, atque sanctissimæ crucis imaginem latræ cultu respectivo adorari posse. Quia in re a definitione Concilii non re ipsa, sed verbis tantum & modo loquendi discrepare videntur.

His itaque in Synodo definitis x. Kalendas Nouembbris, actione (secundum nouam editionem) octaua editum fidei decretum uniuersa Synodus acclamando, & contrarium sentientes anathematismis execrando, approbavit, suaque subscriptione firmiter corroborauit. Post hæc viginti duos Canones ad ecclesiasticam disciplinam pertinentes ediderunt: atque tandem tres synodales epistolas, vnam ad imperatores, alteram encyclicam ad omnes ecclesias, tertiam ad Hadrianum papam prescripsérunt, & sacratissimæ Synodo XII. Octobris, quæ annuēsaria memoria apud Græcos recolitur, finem imposuerunt. De his quæ absolutam sanctam Synodus sunt consecuta, Ignatius in Tarasius apud Surium x xv. Februarii ista scribit: Tandem cum Tarasius & pius qui cum eo collectus catus patrum venerandum literarum decretum tutis monumentis mandassent, & ut id saluum & integrum maneret, precati essent, ut & patres qui primam aduersus furiosum Arium victoriam erant consecuti, adiutores haberent, & eorum quæ decreta fuerant, custodem Deum inuocassent; & vanam inanisque huius sententie autores, & omnis heresis inuentores ab atrio ecclesiastico per anathema separassent: in urbem regiam delata sunt ab ipsis orthodoxa dogmata. Quos summa benevolentia exceperunt imperatores. Erecta itaque cathedra ipsorum imperatorum, & torius a Deo electæ Synodi iam dictæ Magnaure insigni ade, & novo decreto recitato, cum aures imperatorias diuinus impleset Spiritus (audiebant enim eos in unum conuenisse concentum auxilio eius qui omnia continet, & in vnam consensisse sententiam) iudicati sunt accurationem; & esse doctrinam diuinæ inspirationis quæ ab eis decreta fuerant, sapienter iudicantes, penna & manu imperatoria ea optime comprobant & confirmant: & non vilibus donis Synodum prosecuti, vnumquemque mittunt in suam ciuitatem, & ad greges rationis participes. Tarasius autem & apostolicarum sedium mystæ eximii, cum ad sacrosanctæ ecclesie venissent prefectorias, & diuinis doctrinis populum instruxissent ac roboraissent: iis qui in clerum cooptati fuerant, aut episcopatum tenebant, nullum ante Synodum, aut in Synodo, aut post Synodum crimen intendunt de priori mala opinione, neque eos qui ordinati fuerant ab hereticis, a pascuis segregant ecclesiasticis; sed Synodalem & paternam sequentes dispensationem, eos quidem qui adipiam transfigerant sententiam, manibus suis complexi sunt tamquam fratres & collegas in munere pontificatus: eos vero qui in re aliqua claudauerant, & in his quæ ad fidem pertinent peruersis aspicerant oculis, & deinde a lapsu respuerant, & libellis comprehendendam abrogabant opinionem, iudicati amplectentes visceribus, collocabant in suis sedibus, & in pacifico statu & tranquillitate, nullis agitatam fluctibus conservauerunt ecclesiam orbis terre. Et in iis quidem quæ ad gloriosam fidem pertinent, sic magnus Tarasius affectus, ad eam recte & aperte explicandam, & ad

Patres ve-
niunt Con-
stantinopo-
lim.

Qualiter
cum lapis
se gessit Ta-
rasius.

684 HADRIANVS S. NICÆNA II. CONSTANTINVS^S IMPP.
P. I. IRENE

ANNO
CHRISTI
787.

eos qui vacillabant & utrisque pedibus claudicabant, ut recto pede incederent, persuadendos, magnum suscepit certamen & immensum laborem; quotidie quidem eos qui recedebant, honestis monitis inducens: & si quos videbat corde peruersos, eos dirigebat verborum congregationibus, eosque legibus colligans veritatis, adducebat ecclesia sacras hostias, &c.

Quo tempore habita
Synodus.

Tempore Hadriani pape I. Anno septimo imperatorum inchoatam, & seditione Constantinopolitani praesidii turbatam fuisse hanc Synodum, supra ex Theophane recensui. Sed cum per imperatorem metus militum prudenter sublatius esset, contigit anno octauo Constantini & Irenæ, mense Septembri, initio indictionis vndecimæ hanc Synodum vicissim congregari, & in nomine Domini Iesu Christi, ut videre est initio actionum synodalium actione i. iterum inchoari. Cum itaque secundum veriorem computationem Baronianam cum prædictæ indictionis vndecimæ initio, atque cum octauo anno imperii Constantini & Irenæ, annus Christi redemptoris nostri 787. concurrat, recte hunc annum Christi actis synodalibus præfixi; quibus Paulus diaconus 781. Cedrenus 786. Onuphrius 789. male annotarunt. Psellus annos tantum sexaginta inter sextam & septimam Synodum esse voluit: quod cum nullo modo defendi posset, quidam, teste Bellarmino de Conc. lib. i. c. 5. mendum librariorum in Psellum irrepsisse, ipsumque centum annos scripsisse suspicantur.

